

Bibliothèque numérique

medic @

**Robin, Jean-Jacques - candidat /
Bordenave, Toussaint - président. - De
anthrace**

1765.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°11

DE ANTHRACE. THESES

ANATOMICO - CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE, & Præsidi M. TUSSANO
BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro,
Scholarum Antiquo Præposito, Professore Regio, Regiæ
Chirurgorum Academiæ Consiliario & pro commercio
extraneo Secretario, Academiæ Florentinæ Socio, *tueri*
conabitur, JOANNES-JACOBUS ROBIN, *Altiissiodorensis*,
in almâ Universitate Parisiensi, Artium liberalium Magister.

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die Veneris, 29^a. mensis Novembris à sesqui secundâ post meridiem ad
septimam. Anno R. S. H. 1765.*


PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXV.

L



DE ANTHRACE.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

Quæ, Deo Juvante, & Præside M. TUSSANO,
BORDENAVE, Arimæ & Chirurgiæ Magistro,
Scholarum Antiquo Præposito, Professore Regio, Regiæ
Chirurgorum Academiæ Cœnsilio & præ communi
externo Secretario, Academiæ Historiæ Socio, tum
consilio, Joannes-Jacobus Robin, Altiſſimatoris,
in eadem Universitate Præceptoris, Arimæ Libræarii Magistri.

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGICORUM SCHOLIS.

Die Venerabilis, mensis Novembris à septimi secunda post meridiem ad
septimum. Anno R. S. R. 1767.

PRO ACTU PUBLICO

ET


MAGISTERII LAUREÆ.



Typis P. A. L. L. P. R. I. E. U. R., Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXXV.

L



D. O. M.
DE ANTHRACE.
THESES
ANATOMICÆ & CHIRURGICÆ.

DUM per vasa propria ritè absolvitur sanguinis circuitus, viget calor animalis functionesque ritè perficit corpus sanum. Si, aucto motu, inordinatè propellatur sanguis, versùsque minora vasa urgeat, jam adest morbosa diathesis, perturbantur partium munia & usus, destruens oritur calor, detrimentum experiuntur solida & fluida, mutatâque indole ad mutuam ruinam tendunt, nisi Arte ad Naturæ leges accommodatâ, status naturalis restituatur. Annumeratur meritò inter morbos frequentes Inflammatio, cujus sunt diversi gradus sicut & variæ species. Has omittimus, de Anthrace seu

A

2

Carbunculo tantum dicitur, præmissis quibusdam de tegumentis corporis communibus, in quibus frequentius sedem suam habet.

§ I.

INTEGUMENTA corporis communia, numerantur Cutis & Textus Cellulosus; exterior illa, texturâque firmior totum corporis habitum tegit; hic structurâ tenuior, cuti internè supponitur.

QUADRUPPLICEM partium ordinem in cute distingunt Anatomici. Præcipua & interior pars, cæteris crassior, pro variis partibus modò densior, modò rarior, fibris variis conferta, Corium vocatur. In corio annotatur fibræ elasticæ diversimodè cum vasis arteriosis, venosis & nervosis implicatæ, quæ cellulas densiores aut saltem intricatum efformant textum, sicque mirâ dispositione propriâ, nec non peculiari cum vicinis partibus connexionem solidam offerunt involucrium, extensile, contractile. Huic externè apponuntur aliæ partes in cute distinguendæ.

È corio prodeunt nervorum extrema, tenuissimis vasculorum propaginibus stipata, quæ papillas efformant per cutim universam dispersas. Hæ papillæ non ubique æqualiter sublatâ cuticulâ conspicuæ in linguâ obtusâ, conicæ, villosæ apparent; in labiis post macerationem villos offerunt; in digitorum extremis difficiliùs deteguntur. Infrâ cuticulæ foveolas sedent, earumque per totam cutim existentia, si non visu, analogiâ saltem & usu demonstratur.

INTER papillarum spatiola annotatur substantia mollis, mucosa, calore concretescens, ægrè in Europæo, facilè in Africano Æthiope separabilis, in linguâ brutorum post coctionem conspicua, & innumeris foraminulis perforata, quæ cuticulâ adhærens papillas recipit, sustinet, & ordinat. Hæc substantia corpus reticulare, seu meliùs mucosum, nuncupatur. De ejus structurâ inter se non consentiunt Anatomici: hoc corpus ad humorum naturam referunt alii (a); minutissimis capillarum propaginibus hinc inde perreptantibus illud efformari vero propinquum arbitratur clar. Winflowius (b); ipsum

(a) Haller prim. lin. Physiol. n. 4. 8.

(b) Exposition Anatom. Traité des tégumens.

autem coacto humore quodam è cute exhalante, tenuissimâ membranulâ contento, constitui, veritati non alienum videtur. Ab ipso repetendam esse nigredinem æthiopum demonstrant observationes? An à peculiari partium dispositione? An à specifico quodam humore per illud disperso? Nondum elucidaverunt experimenta Anatomica.

EXCEPTA unguium regione, exterius involucrum cuti exhibet Cuticula seu Epidermis. Hæc membrana tenuis, quibusdam in locis crassior, pellucida, sicca, insensilis, vasis nervisque destituta, exterius lævigata, rugosa tamen, sulcis areolisque spiralis digitorum in extremis, at pro aliis partibus diversè configuratis insculpta, interiùs inæqualis, tenuissimis vasculorum staminibus pilisque transeuntibus corio annexa, ipsâ-met cute magis extenditur, & versùs corporis interiora reflectitur. In ipsius substantiâ nullæ annotantur fibræ, lamellis tantùm tenuioribus in membranæ modum coadunatis contexta videtur; innumeris perforatur poris quorum majores pilis transitum præbent; minores sudori, perspirationi, resorptioni dicantur. A partibus subjectis facilè solvitur cuticula; destructa renascitur; tritu, calore, compressione crassescit, distinctasque plures offert lamellas. Ab humore papillarum exudante pulposisque fibrillarum extremis simul concrecentibus, & per vim vitæ organicè dispositis, ipsius formatio & reparatio videntur repetendæ.

EA quam modò diximus apparet cutis structura, dum post varias præparaciones consideratur. Non eadem verò in statu contrà naturam reperitur; sic in emphysemate aut in œdemate evanescit corium illud solidum, elasticum, totumque in textum cellulosum resolvitur ad cuticulam usque; unde non sine ratione concludi posset, corium esse verum textum cellulosum & à textu cellulari supposito tantùm differe structurâ densiori, lamellis strictiùs coherentibus, varioque fibrarum ordine à partibus vicinis mutuato.

PRÆTER pilos & ungues, annotandæ sunt etiam in cute glandulæ minores, sebaceæ dictæ, hic & illic in superficie corporis disseminatæ. Hæ in facie præsertim, auribus, mammis, alis, inguinibus, &c. conspicuæ, humorem oleosum, crassiorem, vermiculatim concrecentem, morâ nigricantem fecernunt, minimisque osculis foràs deponunt, cuti leniendæ, laxandæ, & à frictu defendendæ idoneum. Oleosum quid cum

humore perspirante per totam cutem exhalat, ab humore febrileo distinguendum; illud à pinguedine per poros cutis effluente repetendum, minimè verò à fictitiis glandulis miliaribus, ex analogiâ suppositis, nusquam verò demonstratis.

CORPORI exterius involucrem præbet cutis; simulque per totam ipsius superficiem offert tactus organum, in digitis manuum præsertim sensile, variè pro variis partibus distinguendum. Papillæ sensationi dicantur, quam tamen moderantur aliæ partes, quamque ritè dispositæ perfectam referunt. Sic papillas molles, ad leviolem tactum sensiles, continet mucosum corpus; has defendit cuticula, tactum que moderatur: hæc sublatâ sequitur sensatio molesta, induratâ aut crassiore factâ, imminuitur, deperditurque tactus.

ALTERUM corporis tegumentum commune præstat membrana adiposa, seu textus cellularis, qui non tantum sub cute annotandus; sed versùs interiora corporis expansus, ubique progreditur, in ipsâ-met viscerum fabricâ observandus. Ille textus plurimis constans lamellis membranaceis diversimodè dispositis, cellulas efformat extensione varias, inter se mutuo communicantes; sic que licet pro variis partibus differre videatur, eadem est ipsius in toto corpore structura, idem est usus.

TEXTUM cellulosum ubique non prosequentes, sufficiat hîc membranam adiposam considerare. Hæc cum cute continua, crassior quàm in aliis partibus, cellulas exhibet ampliores; innumeris vasorum sanguiferorum propaginibus perfunditur. Ex arteriis procedunt ductus peculiare, quibus in folliculis secernitur humor oleosus, morâ crassescens, resolubilis tamen, defendendis, lubricandis, inungendis musclicis partibusque vicinis idoneus; idem ille humor ductibus propriis resorbetur & per venas versùs circulationis alveum refertur.

Ex hac structurâ patet membranam adiposam, mollem, extensilem, laxam, facilè distendi; ipsius vasa tenuiora, minùs resistentia, non ægrè ingurgitari, difficiliùs liberari; denique humorem in cellulis contentum variis de causis mutari, perverti. Non mirum ergo, si cutis & illa membrana inflammationum, abscessuum, aliorumque plurium morborum sint frequentior sedes.

§ I I.

CARBUNCULUS est tumor phlegmonodes, intensissimè inflammatorius, ex atro rubens, lividus, durus, cum dolore acerbissimo lancinante, cum vivido caloris sensu, ut plurimum circumscriptus, carni supposita quasi affixus, quandoque prominens, in apice seu centro, breviori tempore, pustulis seu crustâ sæpius nigrescens. In hoc-ce morbo dolor similis ferè, qualis ab adurentibus adesse solet; crusta insensilis, emortua, quasi adusta apparet; imminet gangræna, unde Latinis *carbo*, seu *carbunculus*, apud Græcos *Anthrax*, & ab Arabibus *Pruna* seu *ignis Persicus* nuncupatur.

PECULIARIS quædam se prodit hujusce mali indoles; tantâ vi enim, tantoque cum impetu sævit, ut celerrimè & quidem intrâ aliquot horarum spatium quandoque oriatur; vitale principium in parte affectâ lædit, imò destruit; suppurationem legitimam sæpius impedit; saniem putridam & pejoris naturæ dant carnes lividæ & quasi emortuæ, difficiliusque ad vitam excitatæ suppurationem legitimam procreant. Cum tamen in omnibus carbunculis non semper æquè ferociter sæviant hæc symptomata, hinc variæ distinguuntur eorum species, ideoque simplex aut compositus, benignus aut malignus habetur.

CARBUNCULUS simplex minor est, circumscriptus, durus, renitens, & plus minus-ve celeriter efformatâ crustâ leviori ad legitimam suppurationem tendit; vicinæ partes vix inficiuntur; mitiora apparent, ortâque suppuratione, modò remittuntur symptomata. Non item carbunculus compositus; magis extensus vicinas partes afficit, dumque in centro verus efformatur carbo, jam longè latèque serpens malum in vicinis partibus ingurgitatis efformat erisipelas aut phlegmonem; hinc non tantum compositus, sed etiam pro extensione alterius morbi prædominantis tanquam spurius haberi potest.

BENIGNUS dicitur carbunculus ille qui oritur à causâ simplici, cum mitioribus symptomatibus, in corpore cæteroquin sano, & brevè ad finem tendit absque accidentibus. Malignus contra ille est quem pejora comitantur symptomata, uti convulsiones, delirium, nausæ, singultus, animi deliquium, &c. qui citò partes gangranâ profundiori afficit, totique corpori peri-

culum & ruinam minatur; hic autem rursus distingui potest, in pestilentem, si tempore pestis oriatur; in symptomaticum, quando, corpus depascente febre malignâ, morboque non remittente, efformatur; denique criticus erit, si sub finem morbi appareat.

His positis de carbunculi indole & variâ specie facile patebit quomodo differat à phlegmone, furunculo, &c. attamen ad naturam phlegmonis plurimum accedit, & ubi nascitur phlegmo, ibi est oritur carbunculus: hinc in cute textuque celluloso subjacente hujus ce mali sedes, præsertim si simplex sit aut benignus carbo; si verò sit compositus aut malignus, ad partes vicinas etiam extenditur, sphacelum que producit. Non ergo sedes ipsius repetenda in fistulis glandulis miliaribus (a); huic sententiæ adversantur partium structura, morbi que incipientis aut incrementis consideratio pathologica.

INTER carbunculi causas annotantur acrior sanguinis humorumque dispositio, perversus rerum non-naturalium usus, contactus venenorum, animaliumque peste aut morbo contagioso interemptorum, ea denique omnia quæ humores mutant & ad alcalinam indolem convertunt, aut corrosivum quid in corpore inducunt. Unde tunc si forte in quâlibet parte hæreat vitiatum humor, jam tenerrima vasorum stamina irritat, constringit, unde primò pruritus, tensio, dolor; dein causticorum more vitale principium suffocat, fluida inspissantur, stagnant, pars in centro induratur; imò pro vi veneni depositi quandoque in crustam gangrænosam, profundam mutatur; unde in vicinis tensio, pulsatio inflammatoria, urens dolor, febris aliæque pejora symptomata pro indole & extensione partis affectæ.

EXPOSITIS priùs carbunculi naturâ & differentiis, facilis fit ipsius diagnosi, cui non parùm conferunt signa commemorativa; hæc enim, dum morbi causam demonstrant, ipsius indolem, speciem, periculum que prænuntiant. Observandum tantùm est inflammatione violentissimâ naturam ipsius constitui, pustulamque seu crustam non semper adesse; constat enim morbum quandoque in ipsomet textu celluloso profundius oriri, ægros immanibus sæpè doloribus ardentibus & spasticis priùs affici, quàm carbunculus extrorsum prodeat (b),

(a) Uti allegatur in libro: *Traité des tumeurs & des ulcères*, t. 1, p. 142.

(b) Juncker. *Chir. conspect.* tab. 8. p. 82.

gangrænofamque escarram interiùs lâtere , cute parùm mutata.

ANCEPS & periculi plena carbunculi prognofis : excepto enim illo qui à contactu contagiofo oritur , tanquam crisis naturæque humorem perversum expellentis conamen habendus est hic morbus ; attamen pro variâ specie non funestus æquè eventus prænantandus est. Unde , licet ex fe periculi aliquid habere videatur carbunculus , periculum æftimandum est pro ipfius causâ , specie , fitu & accidentibus. Hinc qui oritur à causâ externâ minùs noxius quàm qui pendet à causâ internâ ; à causâ malignâ vulgari minùs periculofus , quam à causâ pestilenti ; hic etiam dijudicandus pro modo quo prodit & exitu quem molitur. Carbunculus simplex meliùs cedit quàm fpu-rius & complicatus ; qui partes membranaceas , nervofas , juncturas occupat , periculofius tendit quàm qui textum cellulofum & partes carnofas tenet ; denique ex accidentibus majoribus , vel quando post eruptionem retrocedit , pessimum habetur præfagium.

CUM fumina velocitate fua percurrit stadia carbunculus : vix formatus , jam ad fuppurationem aut escarram gangrænofam tendit ; unde ipfi opponenda curatio quæ non tantùm externa , fed & interna effe debet. Dum enim exteriùs fævit malum , pro variâ ipfius specie , causâ , tempore , varia victùs ratio diverfaque medicamenta interiùs funt præfcribenda. Sic pro inflammationis gradu ægrique viribus , fanguinis miffio plus minusve repetita , potus diluens , temperans , diaphoreticus , victus tenuis , alvum moventia , imò & emetica fæpiùs indicantur ; contra languente inflammatione , difficiliùs prorumpente carbunculo , præfertim pestilentiali , viribus naturâ morbi prostratis , competunt potus calidior , fudorem promovens , vim vaforum excitans , cardiaca cautè adhibita , corticis Peruviani ufus , &c

CUM non eadem fit fpes resolutionis in carbunculo ac in aliis tumoribus inflammatoriis , imò cum fæpiùs , tanquam noxius tentandus non fit hic morbi exitus , idèd in primis temporibus , pro inflammationis specie , admovenda funt topica , vel fimpliciter lenientia , fi major inflammatio ; vel , fi minor fit aut languens , fuppurationem promoventia , maturantia. Maturatione factâ , etiam fi adfit crufta minor gangrænofa , exitus puri ferro aut topicis conciliatur , escarræque deciduâ curatur ut ulcus.

Non eadem præstaret curatio majori carbunculo & ad gangrænam tendenti; malum sistendum, nihilque omittendum, ut corruptæ carnis à vivâ separatio promoveatur. Ad hunc finem, scarificationem laudant nonnulli (a), partemque corruptam ad sanam usque incidunt, ut sanies forâs eliminetur & aditus medicamentis antiputridis, suppurantibus, corrosivis variisque pro re natâ indicatis, concilietur. Hæc felici cum successu tentari possunt, languente suppuratione, stagnanteque materiâ in partium inertium texturâ: evacuata enim sanie, agentibusque medicamentis, vitæ restituuntur partes jam jam morituræ.

Si tanto cum impetu prorumpat carbunculus, ut densior fiat crusta gangrænosa, & sphacelosa immineat corruptio, totis viribus incumbendum ut materies morbosa fixa retineatur, & si possit, hîc attrahatur, vicinæ partes sanæ conserventur, denique ut gangræna ulterius depascens impediatur. Idèò non infeliciter cedunt suprâ crustam gangrænosam, lapidiscantici, aquæ fortis, præcipitati rubri usus; abstinendum à butyro antimonii, ne ad partes sanas penetrans medicamentum, gravissima symptomata, labemque interiùs vitæ accersat. Melius adhibentur oleum fervens, aut ferrum candens prudenter admotum. Hoc ultimum medium suadet Celsus, tantòque melius æstimandum, quò citiùs adurat, *neque enim id grave est, quia non sentit, quoniam caro mortua est. Finis que urendi est, dum ex omni parte sensus doloris est* (b). Hanc praxim felici usu comprobaram in peste Londinensi memorat Heisterus (c); imò tanta est ipsius vis & energia ut, referente Sculteto (d), carbunculus retrocedens ferro candente eminùs adhibito, rursùm prodierit.

Dum carbunculus increfcit, efformatam escarram à parte sanâ tunc suppurantibus resolvere, minimè verò excidere præstat. Si enim intempestivâ sectione crustæ gangrænosæ separatio tentetur, jam post operationem partes ingurgitata gangrænâ afficiuntur, acerrimi dolores oriuntur, ferociùs sævit morbus, malaque pejora ut plurimùm sequuntur; imò ægros hac praxi nonnunquam tolli de medio vidimus. Non item escarrâ perfectâ & ortâ suppuratione, quæ mortuum à vivo

(a) Heister. instit. Chirurg. part. 1, lib. 4, cap. 11. Juncker. conspect. Chir. tab. 8. Cours de Chirurgie, par M. Col de Vilars, tom. 1, pag. 346.

(b) Cels. lib. 5, cap. 8.

(c) Loc. superius citato, n. 11.

(d) Armamentar. Chirurg. tab. 20.

